



**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Art. 5. Vtrum quælibet persona diuina potuerit naturam humanam
assumere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

diuina est sufficiens, si natura humana illi vnatur, vt impediatur in ipsa propria subsistentiam creatam, seu eius propriam personalitatem, vtque illam suppleat. Dices personalitas creata est incommunicabilis: atqui hæc incommunicabilitas non potest suppleri per subsistentiam illam communem, aut naturam diuinam: ergo hæc non possunt supplere personalitatem creatam. Respondeo; Subsistentia illa communis & natura diuina possunt supplere quicquid est meræ perfectionis in personalitate creatâ, non autem ea quæ sunt imperfectionis: atqui incommunicabilitas in personalitate creata prouenit ex aliquâ eius imperfectione, scilicet ex limitatione eius: vnde non debet suppleri per subsistentiam communem, vel naturam diuinam, accipiendâ ab illis similem incommunicabilitatem; sed potius accipiendâ loco eius communicabilitatem: natura enim humana, quæ ratione propria personalitatis fuisset incommunicabilis, & tantummodò in vna persona; per subsistentiam communem vel naturam diuinam, fiet tribus personis communicabilis.

Incommunicabilis persona creata, soluitur per assumptionem ad naturam diuinam.

ARTICVLVS IV.

Vtrum vna persona possit sine aliâ naturam humanam assumere?

²⁹ **R**espondetur duabus Conclusionibus. Prior est: Quicquid est actionis in assumptione, est commune tribus personis; id est, tres personæ efficiunt communiter hanc vnionem. Est definitum in Concilio Lateranensi Capitulo Firmiter. *Vnigenitus, inquit, Dei filius à totâ Trinitate communiter est incarnatus. Et in Concilio Toletano Sexto, & Vndecimo, cap. 1. Et ratio additur, quia opera Trinitatis sunt indiuisa; scilicet propter vnitatem potentie.*

Posterior Conclusio: Id quod pertinet ad rationem termini in assumptione, est proprium Filio; quia ad solam Filij personam natura humana est assumpta. Vnde patet, quomodo directè ad Articulum sit respondendum; scilicet, Vnam personam posse assumere naturam humanam sine alia, quòd ad rationem termini assumptionis attinet; non autem quòd ad effectum ipsius assumptionis.

Distinguitur.

ARTICVLVS V.

Vtrum qualibet persona diuina potuerit naturam humanam assumere?

³⁰ **R**espondetur affirmatiuè. Ratio est, Quia in singulis est eadem potentia ad efficiendam ipsam vnionem; & æqualis vis subsistendi, & sustentandi naturam vnitam: ergo. Vide D. Thomam.

ARTICVLVS VI.

Vtrum plures persona diuina possint assumere eandem numero humanam naturam?

³¹ *Regat Scotus.*

Respondetur affirmatiuè. Notandum est, de hoc Articulo esse duas sententias. Prior est Scoti in 3. dist. 1. qu. 2. Richardi & Alberti ea-

dem distinctione, fieri nullo modo posse vt plures personæ eandem numero naturam assumant.

Verùm contraria est multò probabilior; nimium tres personas diuinas posse eandem numero naturam hypostaticè & immediatè sibi vnire. Ita D. Thomas hoc loco, & passim Doctores in 3. dist. 1. vbi vide Durandum qu. 3. Gabriel, qu. 1. art. 3. Capreolum quæst. vnica, & Alensem in 3. parte, qu. 2. membro 4.

Verius affirmatur.

Probat, Quia hoc nullam implicat contradictionem. In hoc autè mysterio, tota ratio facti, est omnipotentia facientis. Quòd non implicet; Probat, Primò, non enim repugnat ex parte diuinæ personæ: quælibet enim potest naturam humanam assumere; & assumptio vnus non impedit assumptionem alterius. Sicut quòd Pater subsistit in natura diuina, non impedit quin Filius in eadem natura subsistat. Nec etiam repugnat ex parte nature humanæ; quia hæc est capax assumptionis secundum capacitatem obedientialem, quæ ad omnia se extendit, quæ contradictionem non implicat. Secundò, Quia eadem forma, v. g. *A similia* anima, virtute diuina potest esse in diuersis corporibus, etiam disitis: ergo multò magis eadem natura poterit vniri diuersis personis diuinis; præfertim cum hæc intimè præsentis sint, & ad hoc non requiratur informatio, sed solùm terminatio & sustentatio.

Non implicat.

Sed contrà. Obijcitur Primò ex Anselmo, qui lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. 9. expressè dicit tres personas non posse vnum eundemque hominem assumere. Quòd etiam sæpius repetit lib. de Incarnatione cap. 4. Respondeo, Anselmus expressè dicit: *Plures persona nequeunt vnum eundemque hominem assumere in vnitatem personæ: quare in vna persona hoc tantum fieri necesse est, scilicet vt vnus homo assumptus sit in vnitatem personæ, ita videlicet vt inde resultet vna persona hominis.* Dices, Cur Anselmus hoc dicit, cum id sit clarissimum?

³² *Obiectio ex D. Anselmo.*

Respondeo, Anselmus assumit hoc tamquam per se notum, sicut multa alia. Supponit autem Deum ita incarnatum, vt inde extiterit vna persona hominis, quòd concedit Aduersarius lib. de Incarnatione cap. 4. Deinde, assumit tamquam notum non potuisse hoc fieri, si plures personæ fuissent incarnatæ: vnde tandem concludit suum propositum, scilicet Filium ita esse incarnatum, vt idcirco nec Pater, nec Spiritus sanctus debeant esse incarnati. D. Thomæ expositio ad hunc sensum est accommodanda.

Soluitur.

Obijcitur Secundò, Natura humana non est infinita: ergo non potest esse in pluribus personis. Patet Consequentia, quia ideo dumtaxat natura diuina potest esse in tribus personis eadem numero, quòd sit infinita.

³³ *Obiectio. Quòd, esse in pluribus personis, arguat infinitatem.*

Respondeo, Esse naturaliter & ex intrinseca sua ratione in tribus, prouenit ex infinitate; non autem esse supernaturaliter: hoc enim solùm requirit potentiam infinitam in efficiente: atqui natura humana solùm supernaturaliter per omnipotentiam Dei esset in tribus. Adde ita esse in tribus, vt omnino illis identificetur, prouenit ex infinitate; non autè esse in tribus à quibus manet distinctum.

Distinguitur.

Obijcitur Tertio, Vnus effectus non potest pendere à pluribus causis integris; vt vnum accidens à pluribus subiectis: ergo nec vna natura potest pendere à pluribus personis, quarum vnæ quæque integris.

³⁴ *Obiectio. Quòd vnus effectus pendet à pluribus causis.*